

deponat, ubi deponit, et se ipsum: non quidem ut ibi hæreat, aut habiet, sed ut bonitatem, atque hilaritatem ostendet suam; et quasi effundat, non tamen profundat, et ut largitate sua et beneficentia colores eos qui ibi inertes, et invisiles resident, in actum suscitet, et ad vitam revocet, ut suo munere fungantur visiles, et hilares rideant. Quod equidem argumento est, lumen suas vires, alterius rei societate non ammittere. Et quam in speciem corporis trine dimensi se se ostendet; incorporeum tamen est sicuti et fons eius radius, neque ullam cum corporibus antitypis habet cognationem. Neque etiam contrarietatem ullam, per quam ab eis lædatur, aut minuatur, aut obscuretur. Neque enim eorum umbram in se admittit. Neque ipsum in se umbram efficit. Cum in corporea incidit diaphana, quasi per cognata, lætabundum se se insinuat, eaque et penetrat, et quaquaversum permeat: ea tota hilaritate sua, et fœcunditate replens. Opaca vero, quasi hostilia, indignabundum aversatur. Et quasi ea tetigisse ipsum pæniteat, ab eis resilit illico, et cupit potius frangi, quam ibi immanere. Et si quod ibi sit foramen, per illud se se immittit. Et quasi ea fuga gloriabundum, latius, atque amplius, quam foramen se se contraria parte ostendat. Summa rei; lumen a sole amplissimo dependens, et amplissimum veniens, tanto se se amplificandi desiderio tenetur, ut quoquo modo potest, id faciat. Et ut id faciat, in angustissima foramina se se colligere non dedignatur, dummodo per illa in amplius se fundat. Trans enim foramina quæcunque, quantacunque, et qualiacunque trasire non indignatur, et trans ea, maius quam in foramine, et latius se se ostendere. Dedignatur tamen ibi remanere, si quis foramine obstructo nitatur ipsum quasi carceri includere: avolat enim illico, carceris impatiens. Si quis vero ingenue secum agat, et præterquam per fissuram, per quamvis aliam foraminis figuram transierit, perfectiore figura, orbiculari scilicet se se ostendat. Tantus est ei perfectionis amor. Id autem amoris habet, quia orbis solaris, et orbicularium radiorum est progenies. Omne enim productum, producenti partim est simile, partim dissimile. Neque tamen in transitu foraminum ullo, aut contrahitur, aut densatur, sicuti nec rarescit post transitum, quamvis dilatetur, a foramine abeundo magis. Inde est, ut per fenestram ingrediens, latius atque amplius in solo, aut pariete se fundat, quam sit fenestrarum amplitudo. Hac tamen conditione, ut minus spacium magis illuminet, quam spacium maius. Hoc ipso indicans vires suas fonti viciniore esse fortiores, quando ingressui proprius, illuminet vivacius, sed angustius. Maiore autem digressu, latius quidem illuminet, sed languidius: quasi coangustatum vividius, et robustius fiat: dilatatum quasi rarescat, fiat minus validum. Hoc enim suæ naturæ videtur proprium esse, ut in progressu semper magis, ac magis debilitetur. Ita ut tandem lumen esse obliviscatur, ac desinat, et vertatur in umbrationem: non quidem dum lumen permanet, sed postquam lumen esse ipsum poenitet, et contrariis tenebrarum filii locum cedit. Si vero valens sit, a maiore scilicet; et vividiore luce oriens, clarius illuminat, et longius se diffundit. Hinc fit manifestum, lumen etiamsi corpus incorporeum sit, et substantialis forma, attam en quasi esset qualitas, magis et minus recipit. Et maximum lumen, et minimum esse potest, et medium multis forte gradibus distinctum. Maximum autem lumen id esse ratio dictat, quod a fonte proxime derivat, et radiorum luci est proximius. Lumen e contra minimum illud est, quod a fonte abest longissime, et quod divisum, vel magis digrediens, luminis formam proxime ammittit. Lumen vero medium, quod inter hæc extrema duo fulget. Idque gradibus pluribus pro diaphanorum ratione. Est tamen lumen res in se tam perfecta, et absoluta, ut dum nulli miscetur, diaphano, non semidiaphano, non opaco, non semiopaco, non sordibus inquinatur; non coloribus proli suæ, non cognatis luminibus aliis, non sibi denique ipsi commisceatur. Lumen qualitatem corporum nullam esse, iam ostendimus. Lumen, sordibus non inquinari omnium oculis est manifestam. Cognatis quoque, luminibus non commisceri, certissimo est argumento, id quod sæpissime spectamus. Candelarum nimirum diversarum lumina, per idem oramen transeuntia in foramine non confundi. Quoniam trans illud recta profecta, distinctissima visuntur. Quinimo, si alterum a vivaciore candela venerit, in foramine ipso, inter socia alia lumina, vivacius fulget. Et inde egressum, reliquis apparet fulgentius, sicuti et per fenestras intrans,

Lumen nos
miscetur.